DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEI PARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1184

# QVÆSTIO MEDICA

## QVOLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVI. DECEMBRIS.

## M. MATHVRINO DENYAV, Doctore Medico & Profeſſore Regio Præſide.

*An in Corpore humano imperium Monarchicum exercetur.*

HVMANVM Corpus in ſe ſeorſim ſpectatum eſt vnum quid per ſe, compoſitionis modo, in quo primum quid dari neceſſum eſt, ex quo cætera dependeant, vt fieri amat in omnibus rebus ordine Conſtitutis: hinc Cor ut antealia omnia formatur (ſaltem priuſquam Cerebrum Galeno conſentiente) ita primum ſit oportet, ſubiectum animæ quæ eſt actus primus corporis organici potentia vitam habentis, primaque omnium illius facultatum ſedes; animæ autem pro ratione actionum, quibus in corpore defungitur, triplex eſt genus, vitæ, ſenſus, & ratiocinij; ſed anima rationalis vegetantis ac ſentientis vitæ, non eminenti tantum dignitate naturæ, ſed ut ajunt formaliter virtutes complectitur & partes obit; quare una completam humani corporis machinam triplici facultatum genere regit atque adminiſtrat. Tres omnino ſunt principes vegetantis animæ facultates nutritiua, augmentativa, & generativa: hæ nec in temperamento primarum qualitatum, nec in calore naturali conſiſtunt, nutritio & augmentatio ſunt motus continui per ſe ac ſucceſſivi. In his omnibus functionibus obeundis omnes corporis noſtri partes a ſe invicem dependent; unde neceſſario agnoſcenda eſt pars prima, a qua ceteræ omnes ſuſtineantur, regantur, & conſerventur: idem in microcoſmo fit atque in magno illo mundi theatro, ut enim ſol omnia luce ſua colluſtrat, fovet ac tuetur, ita cor calore ac ſpiritu vitali nectareque vivifico perfundit totius corporis compagem, quorum influxu partes omnes ſuis muneribus probè funguntur: ipſum vero inſtar unius principis omnino ſui iuris ſibique ſufficiens, nullius partis ſimili auxilio indiget: immo in quibuſdam animalibus media illa pars vivit, in qua cor continetur, partibus ſuperioribus & inferioribus amputatis.

EST enim cor fons vitæ ac nutritionis in eo altricis facultatis inſigniora explentur munia, huius genuina materia eſt ſanguis proprio ſinu concluſus, in quo tanquam in centro quieſcit, ſolo animæ imperio corpori alendo deſtinatæ, cum ſanguis per cœtera omnia membra vagus fluxiliſque venarum & arteriarum ductibus transfundatur, qui reſeratis ruptis, eroſiſque his vaſis quoquo verſum effluit. Nulla pars in concepta genitura Corde prius rubere ac ſanguine aſpergi conſpicitur: præſtat enim hoc uiſcus primum nutriti, quod ſanguini cæteris partibus diſtribuendo a natura comparatum eſt. Neque vero ab aliis partibus perfectus ſanguis per venas ad cor deducitur, cum ſine alio ullo conceptaculo in cordis ſubſtantia tanquam in origine Syncerus, placidus, & ab omni corruptionis labe immunis ſubſiſtat, in alias autem partes, ſi è venis excidit, corrumpitur, & motu cordis inordinato effertur. Vnde natura provida ſanguinis diſpenſatrix venas a Corde velut ab uberrimo fonte tanquam tubos quoſdam in omnes vel minimas Corporis alendi gratia particulas diſperſit, atque in intimam earum ſubſtantiam immerſit ac tranſmutavit. Cordis ſubſtantia ſanguinis puriſſimi concreti & denſati ſoboles eſt: reliqua viſcera nigro quodam & fuſco colore tincta ſanguinis fœcem ſui materiam & baſin indicant: quippe ſanguis potentia eſt pars quælibet, vireſque omnes ac facultates ſuſcipit, quoniam cuique parti velut idoneum fundamentum ac pabulum ſubſternitur: hoc demonſtrat dexter cordis ventriculus a quo vena cava huius ſubſtantiæ ſimillima exoriri conſpicitur, a iecoris natura quæ tota mollis eſt omnino aliena; omnes venæ a cavâ ortæ reducuntur ad Cor ſui originem Portaque eſt Cavæ propago è iecore ad inteſtina per meſenterium emiſſa, alimenti ad Iecur & cavam advehendi ac poſtmodum diſtribuendi, expurgandorumque excrementorum cauſâ: cor igitur omnes venas tanquam propagines quaſdam ex ſe ſe effundit eſt que velut quidam truncus qui in hos omnes ſurculos fruticetur.

NON ſolum facultatis altricis in corde imperium natura ſtabiliuit, ſed etiam in eodem fixit potentiam quæ ſalutari lumine omnes corporis particulas illuſtrat, & ſanguine velut vernaculo pabulo fulcroque ſuſtentat ac fovet: vitalis ideo dicta quod toti corpori vitam impertiatur, a parte animæ naturali efluens, nec ullatenus diſtincta, nec prior nec poſterior, omnes enim partes animæ aut naturæ imperio ſubjiciuntur, omneſque animalis functiones aut abſolutè liberæ ſunt, eaſque poteſt excitare ac cohibere prout libuerit, aut ad eas impellitur naturali neceſſitate laceſſitum, quæ una ſolet eas immutare; non animæ ullum arbitrium aut ulla dominatio: una eademque facultas unius duntaxat partis principis tribunali gaudet, a qua per vicarios quoſdam miniſtros ſua omnia expleat munia: unde cor in medio thoracis æquum fuit conſiſtere velut tutiſſimo loco, ex quo vitalem Calorem ac ſpiritum, humoremque gratioſum in omnia membra poſſet peræque diffundere, ſicque ſingulorum de ſideriis admirabili providentia valeat conſulere. Plura uni formæ parare domicilia natura ordinis amantiſſima non fert quæ ut in omni rerum natura ſic in animalis adminiſtratione ad unius tantum principis dominium cuncta ſua revocat eique ſubjicit. Superior cerebri regio frigida omnium maximè ad tuendum animæ calorem inepta cordis obſequio potius quam imperio nata: non ſinit nec patitur tot facultatum dignitatem ab inferioris regionis ſentinæ corporis fœda illuvie conſpurcari. Cor cavum eſt ut multum ſanguinis caloris ſpirituſque contineat; denſum, ne innatus ille ignis animantium a uthor & cuſtos euolet atque tenues in auras vaneſcat; eius cuſpis inferiorem locum obtinens in anteriorem & ſiniſtram partem ſub papillam inclinat, ad anteriorem quidem ut calidior fiat ea pars in quam fit motus, ad læuam vero ut eius frigiditas temperetur, ut cedat cavæ, corpus ſit æquilibre, lieni & ventriculo faveat, ne ſit impedimento diaphragmati & primo liberæ reſpirationis organo. In eo duo ſinus dexter ſanguini, ſiniſter ſpiritui vitali, & ſanguini arterioſo dicatus.

PORRO in eadem parte ſenſuum & nutritionis ac vitæ principium conſtituere neceſſe eſt. Quamvis enim vivens & nutriens ſeparari a ſentiente poteſt, hoc tamen ſine illo ſtare non valet: cum animalis vita nuſpiam ſenſu deſtituta per ſe ſubſiſtat: quo ſolo animal conſtituitur primò & a plantis diſtinguitur; alias viveret & non viveret: plures haberet animas loco ſituque diſtinctas: ſentientem quoque facultatem in corde tanquam in baſilica conſidere neceſſaria principiorum unio demonſtrat: in lætitia cor diffundi ſuoque motu exultare, in mœtore autem contrahi omnes perſentiunt: eſt igitur ſedes appetitus omnis: at appetitus ſequitur cognitionem ſenſus (ignoti nulla Cupido) moxque appetitum motus: neque appetitus poteſt eſſe, ſine ſenſu neque motus ſine appetitu. Reſque ipſa teſtatur animalia illaquæ durum & denſum habent cor, hebeti plane ſenſu eſſe, valere autem ſenſu quæcunque mollius, pavida quæ grandius audentia quæ minus. Cor in prima generatione ſtatim ſanguine præditum eſt, atque etiam ubi primum, vel ante ipſum cerebrum formatum eſt ſentit, pulſat perpetuo motu agitatur, ceu animal quodpiam ſit, quod ſentiendi & movendi facultatem per ſe habeat, aliiſque ſubinde largiatur ea enim potentia a corporis meditullio omnes corporis particulas convenienti ratione poteſt impellere, & ab ea per nervos in omnes diſtribui. Hæc autem præſtantiſſima facultas immota partes movet. Sic nulla unquam movetur pars, quæ dum impellitur, non obſervetur aliqua ſui parte immobilis. In quamcumque dimenſionem feratur animal ſemper ſit flexu aut directio, ſemper eſt aliqua pars quæ non cietur, & cui innixa animæ facultas eam partem quæ movetur movet. Pars ea immobilis eſt media: hinc movens facultas ſuffulta media parte illius membri quod concutitur, reliquas illius membri particulas concitat, unde patet moventis facultatis principium, in medio corpore, ideoque in corde, & in ipſius cordis parte media immobili conſidere quæ animam ſuſtinet, quæ totum corpus impellit moventiſque animæ tuetur principatum.

ITAQVE jucundæ rei imago ſenſum primo concitat, ſenſus phantaſiam, phantaſia appetitum, cui obſequens motrix facultas animal impellit, ut ſalutaria proſequatur noxia fugiat: tum ipſa ſuo ſuffulta organo, ſcilicet ſpiritu a corde derivato, nervos contrahit & adducit, parteſque animalis commovet, unde non eſt alia virtus qua iraſcatur, alia qua concupiſcat, ſed una & eadem animæ vis eſt & facultas in eadem parte poſita, per quam amica conſectamur inimica repellimus atque auerſamur; imperium monarchicum in humano corpore cor exercet vitali ſpiritu munitum. Anima in corde imperat, in eoque ſpiritus animæ præcipuum ac generale ad omnia inſtrumentum generatur, quo ad Iecur, ad cerebrum, ad teſtes, ad omnes omnino corporis partes diffuſo omnibus præſto eſt ac providet; dumque omnibus uires addit quibus ſingulæ opus ſuum conficiant per uicarias partes verè cor adminiſtrare omnia cenſetur huic ſoli conditiones partis principis abſolutè conveniunt, non enim duntaxat independentem ab aliis partibus uirtutem obtinet, ſed contra uirtutem ſuam propriam toti corpori communicat, & inter reliquas partes principatum ac dominium ſibi iure vendicat, cum ſit primum animæ cunctarumque eius uirtutum domicilium. Illi famulatur Iecur, dum calore ac ſpiritu ab eo derivato ſanguinem illi præparat, ut materiam ex qua tùm uitalem ſpiritum tum nutritionem totam abſolvat. Teſtes in ſua uirtute a corde dependent, quippe ſanguinem calorem ac ſpiritum uitalem, vnde ſemen prolificum perficitur a Corde accipiunt. Cerebrum Cordi miniſtrare iudicatur, dum eodem calore ac ſpiritu, uelut principis poteſtate ſuſcepto, ſenſum & motum exequitur. Cor autem una impellit anima, hic etiam ſpiritus ad unius animæ miniſteria comparatus unus exiſtit, diverſis tamen facultatibus hæc anima ſe oſtentat, ideoque ſpriritum uirium ſuarum delatorem in diuerſas partes exporrigit. Hic uenas pervadens potentia naturali fultus congenitum cuique parti ſpiritum nutritioni reſtaurat; per arterias uero in ſingulas partes diſtributus, uitam quam a Corde mutuatur omnibus partibus impertitur; idem ſpiritus nervos permeans virtute animali dotatus, ea ſenſu præditas partes illuſtrat, & pro multiplici organorum varietate diſtinctas etiam diſſimileſque operationes edit; in oculis colorum diſcernit in lingua ſaporum differentias, & in aliis etiam ſenſorijs alia quoque ſe ratione prodit. Cor propterea non ſibi ſoli, ſed omnibus proſpicit, ſanguinis & ſpirituum uitalium generatione, per quos tanquam princeps unicus omnes edere functiones exiſtimatur.

*Ergo in humano Corpore imperium Monarchicum Exercetur.*



## DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Petrus Creſſé.*
*M. Petrus le Large, Sereniſſ. Luſitanorum Reginæ primarius Medicus*
*M. Anthonius Ioannes Morand,*

*M. Michaël Denyau.*
*M. Claudius de Frades,*
*M. Aegydius le Bel, vnici Regis Fratris Medicus ord.*

*M. Cyprianus Hubaut.*
*M. Guido Patin Profeſſor Regius.*
*M. Iacobus Thevart, Scholarum Profeſſor.*

Proponebat Lutetiæ DOMINICVS DE FARCY, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXVI.